F E R I A E

VARSAVIENSES

SIVE QVAE VACANS AB ACADEMICIS LECTIONIBVS SCRIBEBAT
MENSE AVGVSTO ANNI MDCCCXX

SEBASTIANVS CIAMPI

DOCTOR PHILOSOPHIAE

IN R. VARSAVIENSI LIT. VNIV. PHILOLOGIAE PROFESSOR. IN PISANA LIT. LAT. ET GRAECARVM
PROFESSOR EMERITVS
PROFESSOR HONORARIVS IMP. VNIVERSITATIS VILNENSIS. SOCIVS ATHENAEI ITALICI
SODALITIORVM LIT. ANTIQVARIOR. LONDINENSIS
SCIENT. TAVRINENSIS. HERCVLANENSIS. PVLCR. ART. FLORENTINI. LVCENSIS
PISTORIENSIS. LIBVRNENSIS. VALDARNENSIS
ANTIQ. PROF. COLL. FLORENTINORVM ROMAE ET CONSERV. MONVMENT. PVLCR. ART. PISIS
CANONICVS INSIGNITVS SANDOMIRIENSIS
EQVES SANCTI STANISLAI ET ALIORVM ORDINVM

M E D I O L A N I

EXCVDEBAT SOCIETAS TYPOGRAPHICA CLASSICORVM ITALIAE SCRIPTORVM

M. DCCC. XX

IOANNI LABVSIO

IVRISCONSVLTO BRIXIANO

VIRO ERVDITISSIMO COLLEGAE SVO

SEBASTIANVS CIAMPI

Libellvm istum ad Te, qui *soles meas aliquid putare nugas*, mitto, ut, si tantum otii habueris, legas; et de illo quidquid visum erit, κατὰ παρρησίας ad me velis referre. Cur autem illum scripserim accipe paucis. Nostis *Ferias Varsavienses* illas meas, quas in manus hominum emisi anno ab hoc tertio. Irrepserunt incuria typographi nonnulli errores. Namque obstaculis multis, quae novo in his terris homini occurrerunt, ne quemadmodum optaveram exempla emendarem prohibitus fui. Quum vero scirem nostris moribus, si plura nitent in opere, doctos viros non paucis offendi maculis, haud multum inde molestiae animo insedit. Attamen ingrato experimento didici fuco liturae magis, quam totius operis summae, (quod e renata ephemeridon quasi in morem sine multa cura calamus effuderat) mihi fuisse incumbendum. Statim insurrexerunt litterati viri ejus generis, qui aucupia verborum, et litterarum tendiculas persequuntur, et qui acutius, atque acrius vitia, quam recta vident: ita ut quidquid est in quo offenduntur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit. Hi vitio mihi tribuerunt scripsisse praepositionem AB integram, quando littera consonans excipiebat. Praeterea, quod ad gustum, quem dicunt, latinitatis pertinet, non eadem illis ac ceteris opinio est.

Putant enim et urbane et pulchre scribere latine si phrases selectissimas undique conlatas in suam inserant scripturam, ad instar musivi operis, et si periodo multo oleo delibuta, calamistris cincinnata per sonoros verborum circuitus demulceant aures. Contra vero qui latine scribendo summam laudem adepti sunt tum apud veteres, tum apud recentiores, auream quamdam norunt facilitatem, quae summopere difficilis cum sit, nullis continetur praeceptis, sed multa scriptorum optimorum lectione nobis eam possumus comparare; in qua, licet quaedam verborum sit transpositio, adeo tamen latet, ut vix agnoscas naturalem nexum grammaticae syntaxis esse interruptum. Quinimmo ita censeo, ut, quemadmodum in pictura splendidi colores, et in opere musivo praetiosi et nitentes lapilli non operis pulcritudinem soli constituunt, si deest illa, quam dicunt, harmonia, concordiave partium et colorum: ita in arte scribendi, phrases elaboratae, atque exquisita vocabula non sola stilum vere latinum efficiunt, si deerit illa, quam Tullius vocat, urbanitas. Immo quod in artibus servant illarum periti, qui non omnia ad unguem perficiunt, sed ex parte aliqua studiose neglecta, ex insparsis huc illuc minimis maculis id adsequuntur ut magis placeant, quae praecipua sunt; eodem modo minus comptae phrases, quas aliquando non ingrata fudit incuria, nativae sermonis latini elegantiae minime officiunt, dummodo sit stili urbanitas, et vere latina syntaxis. At inquiunt, quis erit et quotus ille judex, qui de urbanitate, et intimiori latinitatis sensu statuet, cum praeter puritatem elegantiamque vocabulorum, unusquisque pro libito suo judicet sive Italus et Gallus, sive Germanus et Anglus in scribenda lingua demortua? Talia qui effutiunt, pro nihilo maximum adjumentum habent, quod ad urbane et polite scribendum experiuntur ii, qui aures multa lectione praestantissimorum auctorum subactas habent, et assuetas fecerunt sensui verae latinitatis, ut si duriusculum aliquid, vel minus apte conjunctum, vel longe distractum in

verborum collocatione sit, melius intelligunt, sentiuntque, veluti periti musices, quam cur non placeat offendatque, valeant demonstrare. Praeterea (sed in hoc plures eorum qui Itali non sunt adversarios fortasse inveniemus) si qui veterem sermonis latini urbanitatem, et sensum adsequi adhuc possunt minori laboris impendio, nos Itali profecto sumus; tantam enim italica lingua conjunctionem habet cum latina, ut qui latinis italicisque litteris est apprime eruditus, non raro utrumque sermonem, gustum sapere utrumque observabit; idque saepius in optimae notae scriptoribus, quam in deterioribus; optimi enim scriptores italici stilum suum optimis latinorum conformare conati sunt; nihil autem dico de naturali similitudine utriusque linguae; qua fit ut promptius Itali, quam ceteri, latine discant, et sensu quodam, dixerim quasi nativo, singulorum verborum significationem extiment, atque pervadant; quod id ipsum de Graecis quantum attinet ad veterem et hodiernum Graeciae sermonem (illum inquam, qui apud eruditiores in usu est) dictum velimus. At urgent: non is nobis est vere latini sermonis peritus, qui in usu vitae communis illo non utitur, loquiturque de omnibus latine, aeque ac si nativa lingua sibi fuisset latina. Multa, eoque profecto eximia, sunt, quae contra hunc errorem attulerunt doctissimi viri. Itaque ne Athenas noctuas, et Samum vasa portare videar, illos dimittam (quoniam Grammaticorum apud eos maxima est auctoritas) ad eximium Grammaticum Sanctium, qui in libro quem inscripsit *Minervam* hanc opinionem falsam demonstrat, et prorsus explodit.

Cum igitur litterati illi viri minus recte judicent de natura et indole stili latini, stomachentur necesse est scripta illorum qui ab eorum schola recedunt, et, quod pejus est, pro tribunali sedentes id omne vituperent atque traducant, quod suis doctrinis non quadrat; et ita malum gustum, veluti Palladium, tuendo

et promovendo, irritam reddunt operam ab aliis meliori methodo in scholis constituendae navatam (1).

Ut igitur, ex objectis propositis, illud tantummodo refutarem quod speciosius videtur, utpote Grammaticorum praecepto innixum, *de diversa ratione scribendi* AB *vel* A *pro diversa litterarum natura in principio verbi insequentis* Lucubratiunculam istam conscripsi, non eo sane consilio quod ipsos mentem esse mutaturos confiderem, sed ut adolescentes, apud quos non minima illorum esset auctoritas, scirent *quatenus auctoritati fides est adhibenda*. Ceterum perge, ut facis, mi Labusi, clarescere in dies scriptis tuis, doctis mehercule et laboriosis: Italiam cole, et in ista luce vive; *omnis enim peregrinatio*, scribebat Tullius (lib. 2 ad Fam., ep. 12), *quod ego ab adolescentia judicavi, obscura et sordida iis, quorum industria Romae potest illustris esse*. Vale.

Dabam Varsaviae idibus junii an. MDCCCXX.

(1) Contra id genus hominum litteratorum haec habet Angelus M. Durini in praefatione in opera poetica Simonis Simonidae ab se Varsaviae edita et illustrata anno 1772. « Audio quosdam viros in pretio hic esse qui apud meos Italos ne centuriatis quidem « comitiis suffragium ferunt. Haec major est calamitas, quam si omnino litterae non « extimarentur. Nam quid isti latinitatis tortores, et gratiarum praeter glandem in « Heliconа illa sylva legunt, aut quod umquam ex felici arbore nitidius pomum de- « cerpunt, quod in ipsorum scripta tamquam in agri maciem translatum continuo non « emarcescat? » Non ita Phinei dirae, immundaeque volucres

Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
Harpyiae,

VIRGILIVS Æneid. lib. 3. *v.* 227.

ut isti in Musarum convivio bellissimum quodque corrumpunt, et contactum ore nectar sordida vappa et cerevisia commutant . . . . quorum ego de vini hungarici vetustate judicantium sententiam sequi malim quam de poeseos latinae gustu et sapore judicantium.

De incerta Grammaticorum auctoritate ac de varietate orthographiae apud Latinos praesertim in scribenda praepositione AB *quando excipitur ab littera consonanti*

DIATRIBA

AD HENRICVM NEPOTEM

Qvamqvam in singulis vel artibus vel disciplinis, Henrice fratris fili, magnam tibi afferent utilitatem praecepta, seu regulae, quas dicunt, ab eruditis hominibus constitutae: attamen semper putavi non ita praeceptis et regulis esse fidendum, ut illis, tamquam anchorae, oporteat firmiter adhaerere. Frequens enim optimorum lectio auctorum ostendit non inficete dictum ab Castruccio Bonamico, polito illo latinitatis auctore, qui cum aliquando error grammaticus ab imperito quodam sibi exprobrari audivisset — *Nosco Caesarem*, iniquit, *ignoro grammaticam* — Et re quidem vera, si qui falsa tradendo praecepta peccarunt umquam, Grammatici, prae ceteris, hoc laborare vitio deprehenduntur. Itaque Te litterarum tirocinia ingredientem, in quibus copia praeceptorum solet esse magna, monitum statim volui ne tantum praeceptis nudis, putisque concesseris, ut posthabita Scriptorum optimorum lectione, spem animo concipias fore ut unice sequendo praecepta ad culmen sapientiae progredi possis. Quoniam vero in eo stadio curris in quo latinae linguae traditur institutio, proinde quibusdam exemplis ab una latinitate petitis rem ita se habere paucis demonstrabo. At nolim accusationem istam contra praeceptorum auctores ac magistros a me credas primitus institutam. Audias M. Tullium Ciceronem in libro *de Oratore* scribentem: *atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat,*

sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur hebes, atque impolitum (1). Et in epistula ad Lentulum (2) declarat librum illum suum *de Oratore ab communibus abhorrere praeceptis.* At quam se gerant absurde Magistri, qui pueros de recta loquendi scribendique ratione, veluti Pythia e tripode, e grammaticali subsellio praecepta docent, quin una subigant puerile ingenium usu, lectione, litteris, patet ex libris hominum eruditorum, qui cum probe intellexerint non omnia posse comprehendi praeceptis, nequidem illis, quae vera sunt: plurima collegerunt exempla, quae non regulis continentur, sed usu recepta sunt apud graecitatis et latinitatis optimos auctores quoscumque. Hinc et Sextus Pompeius Festus *de verborum significatione:* Nonius Marcellus *de proprietate sermonum:* aliique, alios hujus generis libros apud Antiquos scribere susceperunt. E recentioribus vero Andreas Alciatus veterum Jurisconsultorum defensionem adgressus est contra Vallam Laurentium, qui in suo *de elegantiis libro* quaedam Jurisconsultorum vocabula carpserat, fautoremque invenerat Franciscum Floridum Latinum; hos deinde sequutus Valla Junior Nicholaus librum edidit *de rebus dubiis non satis probatae latinitatis, aut non ex recepta significatione vel contra Grammaticorum regulas;* hic autem nactus est adversarium subacti virum ingenii Bynkershoekium in ejus *Romani Juris observationibus* (3). Verum, omissis aliis, Franciscum Vigerum sufficit meminisse, qui *Idiotismorum graecę linguae delectum* fecit, qui delectus secundis aliorum doctorum hominum curis adauctus iterum iterumque typis impressus est. Horum itaque opera et studio, monumentisque sive scriptis sive inscalptis de die in diem repertis, ac lectione perdiligenti auctorum omnium latinitatis, est manifestum quam temere faciant qui statim clamitant: O bone non recte dicis hoc vel illud: barbarum olet: contra regulas dictum, vel certe contra majorem numerum exemplorum. At quaeso, sodes, quot exempla, tamquam suffragia, jus civitatis asserunt voci latinae? non ne ut peregrinitas absit unum alterumve probatissimi auctoris satis profecto est? quid vero si decem, si centum, aut mille?

Jamdiu apud Grammaticos praeceptum viguit *de usu reciprocorum;*

(1) De Orat. lib. 2. cap. 31.
(2) Ad Fam. lib. 1. ep. 9.
(3) Opuscula varia de Latinitate Jurisconsultorum veterum junctim edidit et animadversiones adjecit Carolus Andreas Dukerus. Lugduni Batavorum apud Joannem Wandenlinden Juniorem 1711.

atque ita insanuit, prae ceteris, Valla, ut damnarit hoc Ovidii: *Respice Laërten ut jam sua lumina condas;* et alterum Salustii: *Nolite hunc judicare ex operibus suis.* Verum postquam diligentior auctorum lectio monstravit non solum in primis et secundis at etiam in tertiis personis optimos latinitatis auctores ita loquutos, praeceptum hoc exolevit; hodieque nisi amphibologiae vitium plane sit, nemo est qui Grammaticorum praecepto illo uti velit.

Sed age nunc in praeceptum aliquod inquiramus quod examini severiori subjectum huc usque non sit. Grammatici vetant ne praepositionem AB quum excipitur ab consonante scribas integram, at jubent scribi imminutam littera B; secus autem cum excipitur ab vocali. Postquam vero acutiores nonnulli observarunt integram saepe scribi in melioris notae auctoribus vel ante litteras consonantes, tunc modum aliquem praescripserunt generali praecepto, concedentes non quidem ante omnes, sed ante quasdam consonantes integram posse scribi. AB, iniquiunt, *ponitur ante vocales*, AB *homine*, AB *amico: quamquam etiam ante* ALIQUAS *consonantes*, AB *nullo*, AB *senatu*, AB *legatis*, AB *Romanis*, AB *Jove* ecc. A *vero ante litteras consonantes; veluti* A *tergo*, A *fronte*, A *lateribus*. Clarissimus quoque Forcellinius, quamquam statuat vocibus praeponi iis, quae incipiunt ab vocali, non tamen dissimulat *aliquando* etiam ab consonante incipientibus esse praemissam. Nollem vero doctissimum virum eo usum esse vocabulo *aliquando*, cum *frequenter* apud optimos auctores praepositio AB integra ante consonantem litteram scripta inveniatur. Demum vir apprime eruditus apud Germanos *Schellers* in *Lexico latinitatis* quam plurima exempla congessit ab optimis petita Scriptoribus, ut monstraret quibuscumque sine ullo discrimine consonantibus esse praemissam. Verum qui hac in re contra Grammaticos plus minusve disputavere ad auctoritatem codicum, aut librorum typis impressorum, veluti ad sacram aram, se receperunt, nec injuria mehercule! Attamen tot vicissitudines experta sunt veterum auctorum scripta, librariorum vitio, et emendantium ignorantia sive etiam audacia, maxime Grammaticorum, ut non raro depravata potius quam emendata dicenda sint. Exemplo est luculentissimo hujus sive inscitiae, sive audacie versus undecimus Odae XIV libri tertii Carminum Horatii. Scriptum erat in codice pervetusto *maled ominatis parcite verbis.* At male feriati vetustatis emendatores, explosa littera *d*, maluerunt scribere *male Ominatis*, repugnante versus mensura propter elisionem litterae *e* per insequentem vocalem o. Alii vero multo ausi pejora *male nominatis*

emendavere. Eodem pacto ex *Tibid illuxisse* apud eumdem Horatium fecerunt *Tibi diluxisse.* Quam invita Minerva utraque facta sit emendatio patet ex vetusto Latinorum usu; in plurimis nempe verbis *d* ultimam addendi, ut est ab Quintiliano observatum (1), et monstratur in columna rostrata, quae fuit Duilio in Foro posita, qui mos viguit apud Italos usque ad saeculum XIII; ut e monumentis illius aetatis apparet (2). Contra codicum excriptores saepe questi sunt viri litterati, quos inter Cassiodorus vel ab saeculo sexto, praecipue vero Franciscus Petrarca saeculo XIV sunt recensendi. Juverit ad hanc rem confirmandam afferre, quae nuper scribebat Cl. Franciscus *del Furia* Bibliothecae Laurentianae apud Florentinos Curator et linguae graecae Magister « L'ignoranza de' copisti è caduta in « sospetto meno di quello che avrebbe meritato; imperciocchè alcune ec« cezioni, alle quali hanno dato luogo quegli scrittori in fatto di regole « grammaticali ... lungi dall' essere state nell' intendimento di essi, non « furon osservate se non per colpa della balordaggine di chi le scris« se (3). » Non temere igitur acquiescendum neque librorum, neque eorum, qui illos emendarunt, fidei; sed multo opus est judicio, ac tum veteris orthographiae, tum linguae de qua instituitur quaestio, multa et perdiligenti notitia. At si veterum librorum testimonio inscriptorum lapidum testimonia respondeat, sanus quilibet obsequatur necesse est. Hoc itaque consilio tot lapidum diversarum aetatum ad calcem hujus disputationis exempla ponam, quot satis erunt ad confirmandum tum vetustos libros, tum lapides in id mirifice conspirare, ut demonstrent AB ante litteras consonantes quascumque positam omni aetate fuisse. At si quis lapidum auctoritatem parvi pendat vel quia ab rudioribus inscriptiones illae profectae videantur, vel ab ignaris omnino hominibus, quales ut plurimum sunt lapidum scalptores, impressae dicantur, vehementer errat. *Neque sane*, iniquit Cl. Morcellius, in hoc litterarum genere facile princeps, *exempla desunt vel eorum qui cum essent ipsi litterarum hoc genus rudes operam et studium egregii scriptoris requisiverunt; vel eorum, qui quamquam litterarum gloria florerent, Inscriptiones tamen a se confectas non ante proposuerunt, quam aliorum essent judicio comprobatae ....*

(1) Instit. lib. 1. cap. 7.

(2) In Dantis poemate legebatur (Inf. can. 34. v. 113.) *ched è opposto a quel che la gran secca.* At Pater Lombardi perperam emendavit *ch' è opposito.*

(3) V. Bibliot. Italiana N.° 24. pag. 330.

Jam vero utut Inscriptionum auctores prope omnium temporum qui nunc extant, ignoremus, illud tamen certum exploratumque est doctissimos viros in hoc se genere litterarum aliquando exercuisse. Inscriptionum auctores et Julium Caesarem, et Caesarem Augustum facit Velius Longus Grammaticus: ... quid de M. Tullio dicam? .... multos ab eo titulos in villis suis ac maxime in Tusculano ... ad loci ornamentum et ad posterorum memoriam positos esse arbitror ... Sed commemoranda potissimum Trajani Augusti, quam Dio celebravit in pangendis inscriptionibus magniloquentia ... Ceterum Trajano praeferendum jure dixeris, qui eum consequutus est, Hadrianum, quippe quem equis etiam et canibus suis epitaphia aliquando condidisse accepimus. Columnam ab eo prope Mantineam ad Epaminondae sepulcrum erectam, in qua incisum epigramma ab eodem conscriptum, tradidit Pausanias! Inscriptionem item pro Voconii poetae amici tumulo confecisse testatur Apulejus (1).

Quamvis autem veterum librorum et lapidum consensu tota dirimi possit contentio; attamen quum librariorum arbitrio multa, multa ab scalptoribus ipsis, quod ad orthographiam pertinet, aliter ac auctor initio scripserat, expressa fuisse quispiam pervicacius, quam par est, fortasse opinabitur: ideo rem altius ad examen revocare libet, in primam praepositionis AB originem inquirendo, ejusque varium per varias aetates usum apud latinitatis auctores, proponendo; quantum licet ex voculae hujus non tantum scriptura, sed etiam ex verbis eorum qui de orthographia veterum Latinorum loquuti sunt.

Itaque praepositionem AB deductam esse ex ἄπο sive ἀφ' Graecorum, nemo inficiatur. At, bene, inquiunt, esto: igitur quemadmodum apud Graecos nunc ἄπο nunc ἀφ' pro diversitate litterarum insequentium scribi solet, sic apud Latinos et AB et A scribendi usus fuit, prout vocalis, aut consonans sequeretur. Atqui non ego repugno id saepe factum, quod ipsi contendunt: sed non semper, non necessario: immo in ea sententia sum ut opiner antiquiores AB libentius quam A scripsisse, consonante insequente. Qui vero secus faciundum putant propter euphoniam, non vera dicunt; exemplis enim innumerabilibus confirmatur litteram *b* fuisse praemissam consonantibus quibuscumque in praepositionibus *sub* et *ob*; quamvis ad evitandam cacophoniam, quam objiciunt delicatiores illi,

(1) Morcelli, *De Stilo Inscriptionum*, lib. 2. in Prolegomenis.

scribi potuerit *subter*, *propter*; pro *sub* et *ob*: si ergo absque convicio aurium, vel absque nota rusticitatis scripsit Caesar *sub primam aciem* (1) Livius, *ob bellum* (2), Justinus, *sub belli denunciatione* (3) et alii dixerunt *ob pavorem*, *ob mulierem*, *ob merita ejus*, *ob Romam*, *ob Trojam* etc. (4) cur dicere puducrit *ab prima acie*, *ab bello* etc. hercle non video; praesertim cum auctoritas exemplorum in libris et in lapidibus frequens occurrat.

At quid ego analogiam, et librorum lapidumque auctoritatem? Valeat, inquiunt, rudis antiquitas, valeat indocta consuetudo. Legas quae scripsit M. Tullius Cicero *in Oratore* suo cap. XLVIII. — *Una praepositio est* ABS; *eaque nunc tantum in accepti tabulis manet; ne his quidem omnium; in reliquo sermone mutata est* —

Verum talia objiciendo fucum imperitis faciunt, non iis qui falsas codicum lectiones ab veris germanisque distinguunt. Ibi enim pro ABS, esse restituendum AB nemo non videt; prosequitur enim Cicero: *nam* amovit *dicimus*, *et* abegit *et* abstulit, *ut jam nescias* AB *ne verum sit*, *an* ABS. *Quid si etiam abfugit turpe visum est*, *et abfer noluerunt*, *aufer maluerunt?* EX usu *dicunt et* E republica, *quod in altero vocalis excipiebat*, *in altero esset asperitas*, *nisi litteram sustulisses: ut*, exegit, edixit: *adjuncti verbi primam litteram praepositio commutavit*, *ut*, subegit, summutavit, sustulit.

Sed verba haec Ciceronis non eo spectant ut semper AB cum vocalis non excipit per A seu scribatur, seu proferatur; quin immo vult eos carpere, qui nimium operose de antiquitate emendanda solliciti erant, quibus morem gerendum in omnibus non putabat. *Quid quod*, iniquit, *sic loqui:* NOSSE, IVDICASSE *vetant:* NOVISSE, *jubent*, *et* IVDICAVISSE? *quasi vero nesciamus in hoc genere et plenum verbum recte dici*, *et imminutum usitate. Itaque utrumque Terentius ..... licet utare utroque.* Praeterea est observandum inter ea, quae ferre non poterant aures illorum hominum fuisse praepositionem EX ante litteram consonantem, ut dicerent *ex* usu, et *e* republica, *exegis* et *edixit*; non autem aeque molestum illis fuit dicere AB senatu, AB Romanis etc., secus enim in exemplum tale

(1) De bello Gall. lib. 1. cap. 24.
(2) Lib. 1. cap. 9.
(3) Lib. 18. cap. 6.
(4) V. Inscription. apud Gruterum ind. c. XV.

quidquam attulisset Cicero, quemadmodum observavit in *ab*fugit et *ab*fer, eos scilicet maluisse *au*fugit et *au*fer, et pro *submutavit*, *substulit; summutavit* et *su*stulit; in ceteris autem contenti si *Abs* non audivissent; praesertim in verbis adjunctis. Quomodo tamen cumque illis videretur, certum est M. Tullium cordi plurimum habuisse, aeque ac illi, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficeret, aut asperas; attamen ab iis non abstinuit quae in universum displicebant delicatioribus; scripsitque fere semper (quantum possumus ex vetustis exemplaribus judicare,); scripsit, inquam, fere semper *ex* quibus, *ex* senatusconsultu, *ex* majore, *ex* minore, *ex* persona, *ex* tuis litteris, *ex* scripto testamento, *ex* republica (1) nullo respectu asperitatis quam illi vitare putabant dicendo *e* quibus etc. Item neque puduit illum scribere *ab* Rodio tibicine-*ab* nullo-*ab* quoque-*ab* senatu-*ab* scaena-*ab* re-*ab* forensi contentioue-*ab* Lucio Aruntio-*ab* re-*ab* reipublicae custodia-*ab* liberti filio-*ab*soluto Scaevola-*ab*surdum-Catone *ab*soluto-*ab*fuerunt-*ab*sit-*ab*dita-*ab*ste; quorum pleraque in ipso libro cui titulus est *Orator* inveniemus, in quo de verborum suavi et eleganti constructione disputat, simulque contrarium ponit eorum, quae recentiores servanda jubebant. Hinc ergo patet mediam Tullium esse viam ingressum; quod plane quadrat his quae declarat in libro de Oratore tertio, cap. x. *Sunt enim illi veteres omnes prope praeclare loquuti, quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi latine; neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce, quod ostendam; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.*

Tenes ego, Henrice, mentem Ciceronis quod ad emendatores illos antiquitatis, simulque intelligis praepositionem AB, ipso probante M. Tullio, posse tum in verbis junctis, tum ante nomina excipi sine reprehensione ab litteris consonantibus quibuscumque. Collocationi huic adstipulatur antiquitas, respondet usus optimorum scriptorum Tullii, Sallustii, Caesaris, Livii, Plauti, Terentii, Virgilii et ceterorum; demum accedit lapidum auctoritas.

Atque hic non ingratam puto fore disquisitionem de tempore quo praepositio AB ante litteras consonantes pro *integra* scribi coeperit diminuta.

(1) De Orat.

Primum itaque satis patet diminutionem praepositionum EX et AB introductam fuisse Ciceronis aetate. Viguit enim apud quosdam opinio, ita voces esse scribendas, ut in ore sonabant, in quorum numero et Caesarem Augustum fuisse tradit Svetonius his verbis: *etenim ille orthographiam, idest formulam, rationemque scribendi a grammaticis institutam non adeo custodivit, ac videtur eorum sequi potius opinionem, qui perinde scribendum ac loquendum existimant; nam quod saepe non litteras modo, sed syllabas aut permutat, aut praeterit, communis hominum error est.* Eamdem sententiam sequutus est Quintilianus: *Ego sic scribendum quidquid judico quomodo sonat: hic enim est usus litterarum ut custodiant voces, et veluti depositum reddant legentibus* (lib. 1. cap. 2.).

Hoc autem vere quadam ex parte, non ex integro dicebatur: namque abusus et corruptela sermonis hinc facile possunt oriri; quum saepe variet sonus vocabulorum etiam apud eas gentes, quae praeclare loqui existimantur; ideo, si scribantur quomodo verba sonant, varia semper erit scriptura. At quoniam, ut inquit Tullius, *impetratum est a consuetudine ut peccare suavitatis causa liceret;* adeo invaluit apud quosdam usus scribendi voces perinde ac in ore sonabant, ut littera M, quae perobscura in extremis vocibus erat, non solum ab Verrio Flacco, inventa nova littera, scribebatur, et Cato Censorius illam supprimeret in extremis vocibus; sed ita adauctus est neglectus litterae in extremis vocibus, ut scalptores lapidum sonum sequuti, cum sapientiam sermonis, sive orthographiae veritatem ignorarent, modo nullam sculpserint ubi debuisset apponi, modo posuerint ubi inutilis et contra declinationem nominis erat; ideo in quibusdam lapidibus legitur

Herculi invicto sacrum pro salutem

Et

Minervae libenter dedit pro salutem suam (1)

Unde nam factum, quaeso, ut monstra tot verborum in optimae notae auctorum libros ab antiquissima aetate irrepserint, nisi propter rationem scribendi verba ut in ore sonabant? Hinc (quod refert Quintilianus ipse) *recipiem* pro *recipiam* apud Catonem; et alia hujusmodi apud alios a Festo notata; veluti *cupiret* pro *cuperet*, *fulgit*, *possint* pro *fulget*, *possent*. Quid non et Cato Censorius *dicam* et *faciam* dicem et facem

(1) Grut. pagg. 46. n. 9; 94. n. 12.

scripsit? (1) Haec itaque et alia multa ab imitatione sonus quo vocabula proferebantur credo profecta non secus ac saeculis VII et VIII invenimus *mercide* pro *mercede*, *alico* pro *aliquo*, *resedire*, *soledi*, *voluéret*, *uvi*, *fece*, *sia*; pro *residere*, *solidi*, *voluerit*, *ubi*, *fecit*, *siet*, et alia sexcenta in monumentis ejus temporis.

Propter consuetudinem igitur scribendi voces ut in ore sonabant, orthographiae scientia paullatim illa amissa est apud majorem hominum partem, ne exceptis quidem librariis, qui libros excribendo victum quaeritabant, ut affirmat Cassiodorus in libro *de Orthographia et divina lectione* cap XII. Haec sane potissima causa fuit, qua latinitatis non dicam decus et elegantia, sed certe nativa forma exolevit.

